

*Litterae exsecutoriae di Antonello
Pulderico, di Napoli, luogotenente del
giustiziere della provincia di Basilicata*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Litterae exsecutoriae di Antonello
Pulderico, di Napoli, luogotenente del
giustiziere della provincia di Basilicata*

1409 marzo 12

Nos Antonellus Puldericus de Neapoli locumtenens domini reginalis iusticiarii terrarum provincie Basilicate et cetera, Nicolao de Laurenciana, familiari dicte curie, et Donato de Affilato, iurato dicte curie, vel eorum alteri amicis nostris, salutem.

Scire vos volumus quod die quinto mensis marcii, secunde indictionis, apud civitatem Potencie, dum curiam regeremus in hospitio iudicis Meuli de Saccode Potencia, posito in dicta civitate Potencie, videlicet in parrochia Sancti Girardi, suis finibus limitato, una cum iudice Antonio Bernalla de Campanea, iudice et assessore nostro, presente quoque ibidem notario Nicolao Cocio de Neapoli actorum notario per reginalem curiam, nobis datis omnibus conquerentibus, ad quos spectat officium iusticiam ministrando, comparuerunt ibidem venerabiles viri dopnus Nicolaus Martinus et dopnus Nicolaus de Sturno, clerici et procuratores electi ecclesie Sancti Michaelis de Potencia, et quandam obtulerunt petitionem tenoris et continencie subsequenter: «Coram vobis magnifico viro Antonello Pulderico, domini reginalis iusticiarii reginalium terrarum provincie Basilicate locumtenente, et vestra curia exponunt humiliter venerabiles viri dopnus Nicolaus Martinus et dopnus Nicolaus de Sturno, clerici et procuratores electi ecclesie Sancti Michaelis de Potencia, dicentes quod cum in questione olim habita inter tunc procuratores dicte ecclesie ex una parte, et notarium Nicolaum Cortesium de Potencia ex parte altera, de quibusdam terris et aquarum fontibus et decursibus dicte ecclesie, positis et contentis in tenimento Potencie in loco ubi dicitur Draconara, suis finibus designatis, et de questione seu causa ipsa per

curiam Philippi Antonii, predecessoris vestri, pro dicta ecclesia seu tunc procuratoribus ipsius ecclesie fuerit sententia promulgata, succubente dicto notario Nicolao convento et per ipsum notarium Nicolaum post dictam latam sententiam fuit ad Sacram Reginalem Maiestatem seu ad eius Sacrum Consilium appellatam, et visa sententia cum appellis et processu in eadem reginali curia per iudicem Nardum de Nola appellationum et nullitatum per dictam reginalem curiam deputatum, provisum fuit et decretum in causa predicta fuisse bene et iuritice sententiatum et male exinde appellatum de causa predicta ecclesia ipsa seu procuratores ipsius, succubente dicto notario Nicolao convento, ut patet per instrumentum et sententiam scriptam in carta pergamene exinde roboratum, quod instrumentum seu quam sententiam procuratores ipsi ad eorum seu dicte ecclesie cautelam et vestre curie certitudinem presentialiter representant et cetera». Qua petitione per nos et nostram curiam admissa, dictum instrumentum seu dictam sententiam, sicut predictur, presentatum et presentatam, recepimus, tenoris et continencie subsequents:... Nos vero actendentes quod officii nostri necessitas compellit ut iusta petentibus non denegetur assensus quia nil prodest sententiam fieri nisi debita executio sequeretur propterea vobis Nicolao et Donato, quo supra, vel eorum alteri mandamus expresse quatenus visis presentibus vos personaliter conferatis ad dictum locum Dragonarie de territorio et pertinentiis dicte civitatis Potencie, ubi dicta terra et aquarum fontes et decursus situate sunt, et asseruntur esse et adhibitis tecum iudice, notario et testibus in numero oportuno in possessionem, proprietatem et dominium dicte terre seu dictarum terrarum, unde et ex quibus oriuntur et

transeunt dicte fontes et aque defluunt unde irrigantur
diverorsum beneficia atque lini, scitarum et positarum in
dicto territorio dicte civitatis Potencie in loco ubi dicitur
le Dragonare, iuxta possessionem notarii Nicolai Cortesii
que fuerunt condam Andreucii de Lacupensuli, videlicet
a parte septentrionis, iuxta quandam terram seu novale
que est arata et prope lacum, que terra est ipsius notarii
Nicolai et vaddunt per angulum usque ad quendam
lapidem, qui est in costa montis super ubi fontes
oriuntur qui vulgariter appellatur lo Montecello et cetera,
prout superius annotantur, dictos dopnum Nicolaum
Martinum et dopnum Nicolaum de Sturno procuratores,
ut supra, dicte ecclesie Potencie seu alium vel alios sui
parte inducatis ipsosque inductos, procuratorio nomine
quo supra, manuteneatis et defendatis ad tenendum,
possidendum, utfruendum per ipsam ecclesiam seu
per procuratorem seu procuratores ipsius vel per
aliquem sui parte tamquam dominam et patronam seu
dominos et patronos pro parte ecclesie prelibate de
eisdem disponendum tantum de bonis aliis propriis
ipsius ecclesie et si in possessionem dicte terre seu
dictarum terrarum ex quibus oriuntur et transeunt dicti
fontes inveniretis ac alter ipsorum invenerit aliquem
detentorem, conductorem, inquilinum seu colonum
ipsum debeas a poxessione predicta omni modo expellere
et ipsis procuratoribus dicte ecclesie seu alicui pro
parte sua vacuum poxessionem, ut supra, debeas
assignare eidem inquilino seu colono, conductori seu
detentori ex reginali nostraque parte ad penam unciarum
quingaginta nostre curie appellandam in personam,
siqui executioni resistere vellet, quam penam similiter
simili modo et forma imponas notario Nicolao Cortesio
predicto et quia in predicta diffinitiva sententia dictus

notarius Nicolaus Cortesius seu eius procurator ad expensans extitit condemnatus factas in causa predicta tam in principali quam in causa appellationis atque in presenti comissione per prefatos procuratores ipsius ecclesie quas una cum dicto iudice et assessore nostro et in presentia dicti actorum notarii in uncia una et tarenis quindecim in carlenis argenti taxavimus, sacramento procuratorum dicte ecclesie secuto, ut iuris et moris est. Igitur alia bona dicti notarii Nicolai perquiratis seu perquiras in dicta civitate Potencie sistencia vel alibi et dictos procuratores dicte ecclesie Sancti Michaelis in possessionem corporalem inducas dictorum bonorum incipiendo a bonis mobilibus et in defectu mobilium ipsos in possessionem bonorum immobilium inducas tantorum bonorum predictorum quod assendant ad summam seu valorem dicte uncie unius et tarenorum quindecim extimandorum per duos vel tres probos viros dicte civitatis Potencie per te in premissis eligendos possidendorum et tenendorum per ipsam ecclesiam seu procuratores ipsius tamquam dominam et patronam si per anni circulum non fuerit ab eodem notario Nicolao de predictis uncia una et tarenis quindecim integraliter satisfactum, ipsos procuratores dicte ecclesie sic inductos, manuteneas et defendas per penarum impositionem et executiones per te faciendas, ut supra, dicto notario Nicolao seu aliis dictam ecclesiam seu dictos procuratores ipsius turbantibus seu molestantibus in possessione predicta facturus fieri de executione huiusmodi tria publica et consimilia instrumenta, quorum unum penes te retineas, aliud dictis procuratoribus dicte ecclesie assignari facias pro eorum cautela, reliquum vero nobis et nostre curie quantocius poteris studeas presentare pro cautela dicte

curie et memoria futurorum. In cuius rei testimonium presentes vobis vel alteri vestrum fieri fecimus nostro sigillo ac niciis dicti nostri iudicis et assessoris et dicti actorum notarii communitas.

1

Data in civitate Potencie sub anno Domini millesimo quadrigentesimo nono, regnante inclito et serenissimo domino Ladizlao, Dei gratia Hungarie, Ierusalem et Sicilie rege et cetera, regnorum vero eius anno vicesimo secundo, feliciter, amen, die duodecimo mensis martii, secunde indictionis. Ego iudex Antonius de Bernalia de Campanea reginalis assessor in dicta curia predicta fateor et subscribo. Ego notarius Nicolaus Cocius de Neapoli magister actorum ut supra predicta confiteor et presentes mea propria scripsi et cetera, manu et cetera.